

1.2.16

Idem A. Sebastiano pp.

Decernimus, ut antiquatis
ac infirmatis funditus, quae contra ipsum
orthodoxae religionis deum quodammodo facta sunt,
in integrum restituantur universa et ad suum ordinem
revocentur, quae ante profectionem nostrae mansuetudinis
de orthodoxae religionis fide et sanctissimarum
ecclesiarum et martyriorum statu firmiter
obtinebant: his, quae contra haec tempore tyrannidis
innovata sunt tam contra venerabiles ecclesias,
quarum sacerdotium gerit beatissimus ac religiosissimus
episcopus patriarcha nostrae pietatis pater
Acacius, quam ceteras, quae per diversas provincias
collocatae sunt, nec non et reverentissimos earum
antistites seu de iure sacerdotalium creationum seu
de expulsionem cuiusquam episcopi a quolibet illis
temporibus facta seu de praerogativa in episcoporum
concilio vel extra concilium ante alios residendi vel
de privilegio metropolitano vel patriarchico sub isdem
impiis temporibus, penitus antiquandis, ut cassatis
et rescissis, quae per huiusmodi sceleratas iussiones
aut pragmaticas sanctiones aut constitutiones
impias sive formas subsecuta sunt, quae a divae
recordationis retro principibus ante nostrum imperium
et deinceps a nostra mansuetudine indulta vel
constituta sunt super sanctis ecclesiis et martyriis
et religiosis episcopis clericis aut monachis, inviolata
serventur.

¶ Sacrosanctam quoque huius religiosissimae
civitatis ecclesiam matrem nostrae pietatis et
Christianorum orthodoxae religionis omnium et eiusdem
regiae urbis sanctissimam sedem privilegia et
honores omnes super episcoporum creationibus et
iure ante alios residendi et cetera omnia, quae ante
nostrum imperium vel nobis imperantibus habuisse
dignoscitur, habere in perpetuum firmiter regiae urbis
intuitu iudicamus et sancimus.

D. XVI k. Ian. post cons. Armati vc.

[477]